

Haec pluribus a me verbis dicta sunt ob eam cau-<sup>7</sup>  
 sam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de  
 re publica disputatio; quae ne frustra haberetur, dubi-<sup>12</sup>  
<sup>79</sup> tationem ad rem publicam adeun|di in primis debui  
 5 tollere. ac tamen si qui sunt qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper atque au-  
 diant eos quorum summa est auctoritas apud doctissi-  
 mos homines et gloria; quos ego existimo, etiamsi qui  
 ipsi rem publicam non gesserint, tamen quoniam de re  
 10 publica multa quaesierint et scripserint, functos esse  
 aliquo rei publicae munere. eos vero septem quos  
<sup>80</sup> Graeci sapientis nomi|naverunt, omnis paene video in  
 media re publica esse versatos. neque enim est ulla res  
 in qua proprius ad deorum numen virtus accedat hu-  
 15 mana, quam civitatis aut condere novas aut conservare  
 iam conditas.

Quibus de rebus, quoniam nobis contigit ut idem et <sup>8</sup>  
 in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum  
 consecuti, et in explicandis rationibus rerum civilium  
<sup>55</sup> quandam facultatem, non modo usu sed etiam studio  
 21 discendi et docendi \*\*\*\*\* essemus auctores, cum supe-  
 riores ali fuissent in disputationibus perpoliti, quo-  
 rum res gestae nullae invenirentur, ali in gerendo pro-  
 bables, in disserendo rudes. nec vero nostra quaedam  
 25 est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius  
 aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae ci-  
<sup>56</sup> vitatis virorum disputatio repetenda memoria | est,